Stawek franciscii: Arcana philosophiae rationalis scire volentibus communicata.

Crac. in off. haeredum Christ. Schedel.
1670.

A. D. O M. H.

ARCANA PHILOSOPHIÆ RATIONALIS,

Scire Volentibus

Communicata

& sub

felicibus auspicijs

Magnifici Perillustris ac Admodum Reuerendi Domini,

M. ANDREÆ KVCHARSKI,

S. Th. Doctoris & Professoris Ecclesiarum Crac: Cathedr; Canonici, & Collegiatæ SS Omnium Præpositi, Curati Prossonien: Scholarum Vladislauiano-Noueduorscianarum & Contubernij Hierosolymitani Prouisoris, Canonizationis B. IOANNIS CANTII *Procuratoris, &c. nec non Almæ Studiorum Vniuersitatis Cracouien: generalis*

RECTORIS

Vigilantissimi

euulgata

atq;

Per V. ANTONIVM FRANCISCVM SŁAWEK, *Art: & Phiæ Baccalaureum*

cum assistentia

M. GREGORII OCHABOWICZ,

Collegæ Min: Cursûs Philosophici VLADISLAVIANI Professoris

in peraugusta D. IAGELLONIS Aula

Anno reparatæ Salutis M. DC. LXX. *Die 20. Aprilis.*

Horis pomeridianis

publicæ, Eruditorum Virorum, Clarissimorum & Doctissimorũ Hospitũ, Crisi

EXPOSITA.

I. *Ex Disputatione* De Philosophia in communi.

I. DAtur Philosophia magno humani generis bono. (2) rectèq; definitur quòd sit cognitio rerum Diuinarum & humanarum. Seu. cognitio rerum vt sunt. 3. adæquatè quoq; diuiditur *ratione Materiæ*, in Rationalem, Naturalem, & Moralem: *ratione* vero *Finis*. in Speculatiuam & Practicam. 4. licet porrò tam speculatiuæ quàm Practicæ vniuersaliter loquendo finis sit veritatis cognitio, non tamen æqualiter (5) quemadmodum nec idem est inter memoratas Philosophiæ partes doctrinæ & dignitatis ordo.

II. *Ex Disputatione*. De Natura Logicæ.

I. PRæter Logicam Naturalem, defacto datur Artificialis. 2. quæ in Docentem & Vtentem, non tanquam in duos realiter, sed tanquam in duos solâ ratione ratiocinatâ distinctos habitus rectè diuiditur. 3. estq; Docens verè & propriè Scientia: vtens verò tantùm Entitatiuè, non autem formaliter seu reduplicatiuè sumpta. 4. Obiectum Eius formale & adæquatum (dictum Quod) est Ens *rationis*, non in tota sua latitudine, sed prout comprehendit modum sciendi extensum ad omnes secundas Intentiones Logicas, tam eas quæ fundantur in rebus, quàm quæ in vocibus: licet illæ primariò, hæ secundario referantur ad rationem ipsius formalem dictam Quæ. 5. Porrò Obiectum Quo, seu ratio formalis sub Qua Logica considerat Entia rationis; est tum abstractio ab omni Materia: tum principia ex quibus ad suas Conclusiones eliciendas procedit. 6 & hinc est quod illa, non sit scientia practica (nisi fortè impropriè idq; solùm vt Vtens) & multò minùs speculatiua simul & practica; sed est purè speculatiua. (7) ad alias omnes scientias acquirendas in statu perfecto simpliciter necessaria. 8. ita vt proximus illius finis internus sit Entis rationis cognitio: externus, Definitionis, Diuisionis, & Argumentionis in Materia occurrenti constructio: Vltimus verò est tum directio intellectûs, ne erret in suis operationibus: tum quoq; illa cognitio

quæ

quæ in quauis materia haberi potest per Definitionem Diuisionem & Argumentationem. 9. ratione quorum Logica consecutiuè scientia Methodica, & modus sciendi non abs re dicitur.

III. *Ex Disputatione.* De Ente rationis Logico.

I. DE facto datur Ens rationis Logicum. 2. quod consistit non in denominatione extrinseca, sed in quodam esse ficto, quod nihil est in re, habet tamen esse obiectiuè in intellectu, ratione cuius denominatur intrinsecè. 3. ac proinde habet veram vt essentiam sic existentiam, quarum illa ex habituali, hæc autem desumitur ex actuali relatione ad intellectum. 4. rectèq; describitur quod sit proprietas quædam conueniens rebus ex esse quod habent in intellectu, cuius totum esse est ad aliud se habere. 5. ex quo patet Entia rationis fieri, non à sensu aliquo, externo vel interno; neq; à voluntate; sed ab intellectu idq; non Diuino nec Angelico, verùm (& quidem non nisi pro hoc statu) à solo humano; eoq; non Agente, sed duntaxat Possibili, per actum eius reflexum, & comparatiuum ac per quamlibet illius operationem, exceptâ præcisione. 6, vt autem solus intellectus format Entia rationis: ita quoq; solus ea cognoscit per alienam quidem impressam, per propriam verò speciem eorum expressam.

IV. *Ex Disputatione.* De Vniuersalibus in Communi.

I. VNiuersale vt rectè definitur esse quid vnum commune multis: ita quoq; rectè diuiditur in Materiale & formale. 2. Præter singularia quippe & voces atq; conceptus formales, dantur à parte rei conceptus obiectiui siue vniuersalia materialia in singularibus non autem separatim existentia. 3. illaq; præter vnitatē materialē habent à parte rei formalē communem negatiuè, sola ratione ratiocinatâ à numerali distinctam. 4. Porrò Vniuersale formaliter sumptum, non est à parte rei extra intellectum; sed si Metaphysicè sumatur, fit per abstractionem intellectus Agentis, & perfectiùs per præcisionem intellectûs possibilis: si verò sumatur Logicè, fit per intellectûs possibilis comparationem simplicem, non verò compositam. 5. Logici vniuersalis propria passio est prædicabilitas. 6. istudq;

 diui-

diuiditur non modò adæquatè sed & vniuocè in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium & Accidens. 7 Ex quibus licet Genus ac Species tam in concreto quàm in abstracto; Differentia nihilominus Proprium & Accidens non nisi in concreto de suis inferioribus directè & formaliter prædicari possunt.

V. *Ex Disputatione.* De Genere.

I. Rectè à Porphyrio definitur Genus esse id quod prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod quid est: 2. quæ quidem Definitio non est essentialis sed descriptiua. 3. definitumq; illius non est aggregatum ex natura & secunda intentione; nec natura vt connotat secundam intentionem; sed secunda intentio vt connotat naturam. 4. bene quoq; diuiditur in Generalissimum & Subalternum. 5. sed non prædicatur de speciebus vt pars, ast vt totum potentiale. 6. qua ratione sumptum, nullo modo saluari potest in vnica specie. 7. illud porrò quod communiter dicitur Genus sumi à materia; intelligendum est tanquam à principio seu fundamento radicali remoto, non tanquam à proximo: & quidem non nisi in substantijs, idq; materialibus tantùm.

VI. *Ex Disputatione.* De Specie ac Indiuiduo.

I. Species vt est vniuersale, quamuis descriptiuè nihilominus bene à Porphyrio definita est per prædicari de pluribus solo numero differentibus. 2. conuenitq; hæc Definitio speciei non subalternæ, sed specialissimæ. 3. idq; non vt est subijcibilis, sed vt est prædicabilis. 4. iuxta quam considerationem, licet non Logicè tamen Metaphysicè sumpta saluatur in vnico Jndiuiduo. 5. Jndiuiduum autem *primò intentionaliter* acceptum est id cuius collectio proprietatum sic est in vno, vt nunquam fiat in alio: *secundò* verò *intentionaliter* acceptum est id quod de vno tantùm prædicatur (puta prædicatione identicâ non formali) 6. & istæ ambæ descriptiones conueniunt Indiuiduo determinato, non autem vago, quod inter naturam singularem & vniuersalem mediare videtur.

VII. *Ex Disputatione.* De Differentia.

I. Diuisio Differentiæ in Communem Propriam & maximè pro-

propriam licet sit adæquata (2) non tamen est vniuoca sed analoga, siue primò siue sumatur secundò intentionaliter. 3. solumq; tertium istius Diuisionis Membrum scilicet Differentia maximè propria, constituit tertium in ordine Prædicabile, nempe Differentiam. 4. quæ rectè definitur esse id quod prædicatur de pluribus specie differentibus in quale quid. 5. istaq; Definitio (si in ea ly specie differentibus; intelligatur de differentibus specie non tantùm inter se, sed etiam ab alijs) potest conuenire non solùm Differentijs subalternis, sed etiam Differentijs vltimis. 6, quas præter subalternas dari. (7) illas cum speciebus atomis esse conuertibiles (8) nec in se Differentias subalternas aut genera formaliter includere. (9) & in esse tertij Prædicabilis non constitui per ordinem ad propria Indiuidua, nec per ordinem ad speciem quam constituunt, sed per ordinẽ ad Indiuidua istius speciei, tenemus. (10.) prout & hoc quod omnis differentia suo genere perfectior sit.

VIII. *Ex Disputatione.* De Proprio.

1. QVatuor modis dicitur Proprium (2) sed solùm quarto modo sumptum (quod scilicet conuenit omni, soli & semper) habet rationem quarti Prædicabilis (3) constituiturq; in esse vniuersalis, non per ordinem ad inferiora eodem nomine significata, nec per ordinem ad speciem siue essentiam à qua dimanat, & cum qua conuertitur, sed per odinem ad inferiora talis speciei.

IX. *Ex Disputatione.* De Accidente.

1. ACcidens vt est quintum Prædicabile rectè definitur per adesse & abesse sine subiecti corruptione. (2) sed hæc Definitiò non *primò* verùm *secundò* intentionaliter exponenda est. 3. porrò hoc Accidens in esse vniuersalis constituitur per ordinem ad subiecta quæ denominat, non verò per ordinem ad inferiora de quibus essentialiter dicitur.

X *Ex Disputatione.* De Antepraedicamentis.

1. DEfinitiones Æquiuocorum, Vniuocorum & Denominatiuorum rectè sunt ab Aristotele traditæ. ita vt *Æquiuoca* sint illa, quorum nomen est commune, ratio verò

 sub-

ſubſtantiæ nomini accommodata, diuerſa. *Vniuoca* illa, quorum & nomen commune eſt, & ratio ſubſtantiæ nomini accommodata eſt eadem. *Denominatiua* autem illa, quæ ab aliquo nominis appellationem habent, ſolo differentia caſu 2. Porrò inter æquiuoca & vniuoca dantur *Analoga*, media inter illa, quorum ſcilicet nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ per illud nomen ſignificata, eadem ſecundum quid, diuerſa verò ſimpliciter. 3. Suntq; Analoga duplicia. Alia *Attributionis*, quorum ſcilicet nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ illius nominis, eadem ſecundum terminum, diuerſa verò ſecundum habitudines ad illum. Et alia *Proportionalitatis* quorum ſcilicet nomen eſt commune, & ratio ſubſtantiæ illius nominis eadem ſecundum aliquam proportionem ſeu ſimilitudinem, diuerſa verò ſimpliciter. 4. Duæ quoq; Diuiſiones: altera *Vocum* in Complexas & Incomplexas: & altera *Rerum*. in ſubſtantias & Accidentia rectè ſunt aſſignatæ. 5. quemadmodum & duæ *Regulæ Antepradicamentales* quarum *prima* hæc eſt. Quando aliquid prædicatur de aliquo, tanquam de ſubiecto, tum quicquid atttribuitur prædicato attribuitur & illius ſubiecto. *Secunda* verò hæc. Diuerſorum generum & non ſubalternatim poſitorum, diuerſæ ſunt ſpecie differentiæ.

XI. *Ex Diſputatione*. De Prædicamentis in communi.

1. PRædicamenta rectè dicuntur eſſe coordinationes generum & ſpecierum ſecundum ſub & ſupra: hoc eſt ſecundum ſubijcibilitatem & prædicabilitatem. (2) in illis verò non ponuntur directè niſi ſola Entia realia, creata, per ſe, completa, incomplexa, vniuoca, & eſſentialia. (3) numeranturq; decem hæc. Subſtantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Actio, Paſſio, vbi, Quando, Situs, & Habitus. (4) quæ adeo ſunt impermixta, vt inter omnia intercedat realis diſtinctio.

XII. *Ex Diſputatione*. De Subſtantia.

1. RAtio formalis conſtitutiua Subſtantiæ eſt, eſſe per ſe, non autem ſubſtare accidentibus, vel non eſſe in alio. 2. Diuiſio quoq; illius in *Primam* (quæ non dicitur de ſubiecto) & *Secundam* (quæ dicitur de ſubiecto) eſt bona, licet

nec

nec vniuoca, nec simpliciter analoga, ast subiecti in Accidentia. 3. Diuisum quippe huius Diuisionis est substantia secundum se spectata vt scilicet præintelligitur ante modos essendi particulariter vel, vniuersaliter. 4. Porrò Proprietates Substantiæ assignantur vulgò sex (istæ non esse in subiecto: Dici de prima si sit secunda: primam significare hoc aliquid, & secundam quale quid: non habere contrarium: non suscipere magis & minus: esse verò contrariorum susceptiuam) ex quibus prima tantùm & vltima sunt proprietates quarto modo sumptæ.

XIII. *Ex Disputatione.* De Quantitate.

I. NEc mensura, nec diuisibilitas, nec impenetrabilitas, aut extensio partium in ordine ad locum, sed extensio partium in ordine ad se, est ratio formalis Quantitatis (2) quæ in Continuam & Discretam rectè diuiditur. 3. species per se Quantitatis Continuæ sunt linea, superficies & Corpus, imò & Tempus: Locus autem & Motus non item. 4 Species verò Quantitatis Discretæ sunt Numerus & Oratio. 5. Porrò ex Proprietatibus Quantitatis quæ tres assignantur à Philosopho (scilicet. Non habere contrarium; non suscipere magis & minus: secundum quantitatem res dicuntur æquales vel in æquales) sola tertia est quarti modi proprij.

XIV. *Ex Disputatione.* De Qualitate.

I. QValitas iuxta Aristotelem est, secundùm quam quales esse dicimur. hoc est Qualitas est accidens à quo res cõstituitur in esse qualis, & per quod propriè respondetur interrogationi factæ per Quale. Vel vt alij exponunt. Qualitas est accidens completum modificatiuum seu determinatiuum Substantiæ in seipsa. 2. Et iuxta hanc expositionem dicta Definitio exprimit rationem Qualitatis formalem quæ est dispositio seu modificatio & determinatio substantiæ sine addito. hoc est, quam Substantia potest habere in seipsa sine additione ordinis ad aliud. 3. adæquatè porrò & tanquam genus in species diuiditur Qualitas in Habitum & Dispositionem: Naturalem potentiam & impotentiam: passionem & patibilem qualitatem: tum formam & figuram. (4) in qua Diuisione quadrimembri

membri, sola primi Membri duo vocabula, duas; secundi verò tertij & quarti singulas tantùm dicunt species. 5. Porrò ex tribus Qualitatis proprietatibus, quarum prima est, habere contrarium: secunda suscipere magis & minus: sola tertia est quarti modi hæc, secundum Qualitatem res dicuntur similes vel dissimiles.

XV. *Ex Disputatione.* De Relatione.

I. DAntur Relationes reales creatæ secundum esse, quæ (2) & quidem solæ constituunt distinctam ab alijs Prædicamentis Categoriam, quam Aristoteles expressit per ly Adliquid (3) illamq; in Concreto & quidem in plurali definiuit sic. *Relatiua* sunt quorum esse est ad aliud se habere. 4. in abstracto verò optimè definitur sic *Relatio* est accidens faciens respicere aliud. Seu clariùs est accidens reale cuius totum esse est ad aliud se habere. 5. Ad hoc autem vt Ralatio sit realis requiruntur istæ quatuor conditiones: subiectum reale, fundamentum reale; terminus realis existens realiter, & distinctio realis fundamenti & termini. 6. Fundamenta verò Relationis hæc tria tantùm sunt vnitas & Numerus, Actio & Passio, Mensura & Mensurabile. (7) ab his autem omnibus realiter distinguitur Relatio. (8) quæ siue sit mutua, siue non, formaliter terminatur ad respectiuum. 9. Porrò vnitatèm & distinctionem Relationũ quod attinet; *Numerica* ex vnitate & distinctione Numerica subiecti: *specifica* autem vnitas ab vnitate specifica tam fundamenti quàm termini, tanquam à totali & integra causa; *distinctio* verò *specifica*, à specifica, vel fundamenti, vel termini distinctione sumitur. 10. Cæterum ex proprietatibus Relatiuorũ istæ solæ sunt quarti modi: scilicet esse simul naturâ, & esse simul cognitione: aliæ verò quæ communiter assignantur, vt pote dici ad conuertentiam: habere contrarium: & suscipere magis & minus, non tam sunt proprietates, quàm potiùs communitates.

XVI. *Ex Disputatione.* De Sex Vltimis Prædicamentis.

I. VLtima sex Prædicamenta non sunt Relationes secundum esse, sed sunt quid simpliciter absolutum, con-

notant

notant nihilominus aliquid extrinſecum. (2.) non ideo tamen ſunt puræ denominationes extrinſecæ, ſed ſunt Entitates quædam ſeu formæ intrinſecæ & abſolutæ, reſultantes in rebus cum eſſentiali dependentia ab aliquo extrinſeco. 3. vnde quod *Actionem* ſpectat, illa definitur à Gilberto Porretano quod ſit forma ſecundum quam in id quod ſubijcitur agere dicimur. hoc eſt (vt quidam exponunt) eſt cauſalitas cauſæ Efficientis, ſeu actus ſecundus potentiæ operatiuæ. ſeu eſt accidens à quo res conſtituitur actu agens. 4. diuiditur autem in immanentem & tranſeuntem: & vtraq; hæc ſubdiuiditur iuxta diuiſiones ſui principij ſcilicet potentiæ operatiuæ.| 5. *Paſſionem* quod attinet illa nihil eſt aliud niſi actualis receptio termini, ſeu actus ſecundus potentiæ paſſiuæ. ſeu quod in idem redit. Eſt accidens à quo res conſtituitur actu recipiens. 6. Licet verò tam Actioni quam Paſſioni commune ſit, vt ſe mutuò inferant, vt fiant mediante Qualitate, & habeant contrarium, ſuſcipiantq; magis & minus; non tamen ab eodem ſpecificantur; ſed Actio à potentia operatiua. Paſſio autem à termino per actionem producto. 7. Quod attinet *vbi* deſcribitur à Gilberto quod ſit circumſcriptio corporis, ex circumſcriptione loci proueniens. ab alijs autem breuiùs, quod ſit notatio loci; ita vt *vbi* ſit accidens reſultans in re locata ex circumſcriptione loci (8.) porrò illius differentiæ ſunt illæ ſex ante, retro, ſurſum, deorſum, dextrorſum ſiniſtrorſum. 9. Quod attinet *Quando* illud nihil eſt aliud niſi forma accidentalis relicta in rebus temporalibus ex adiacentia temporis, vel (vt alijs placet) eſt notatio temporis. 10. *Situm* quod ſpectat, ille nihil eſt aliud niſi ordo ſeu poſitio partium in loco (11.) diuiditurq; in naturalem & non naturalem: is verò in ſpontaneum, caſualem, & violentum. 12. Ad extremùm *Habitus* ab Authore ſex Principiorum deſcribitur quod ſit corporum & eorum quæ circa corpus ſunt adiacentia; ita vt ſit modus accidentarius reſultans in corpore ex adiacentia eorum quæ circa corpus ſunt: ſunt autem aut veſtes aut arma (13.) ratione quorum habitus diuiditur

in duo genera subalterna: vtrumq; verò in varias subdiuiditur species.

XVII. *Ex Disputatione.* De Postprædicamentis.

I. OPpositio in Relatiuam, Contrariam, Priuatiuam, & Contradictoriam adæquatè, non tamen vniuocè, sed analogicè diuiditur. (2) inter has autem Contradictoria est omnium maxima. 3. Quinq; modi Prioris: tres modi simul: Sex vocabula motûs latè sumpti: & septem modi habendi rectè sunt assignati ab Aristotele. ita vt aliquid sit *Prius*, tempore, Consequentiâ, Ordine, dignitate, & Naturâ: *Simul* verò aut tempore, aut naturâ Relationis, aut demum Naturâ diuisionis. *Moueatur* autem vel per generationem, vel per corruptionem, vel per diminutionem, vel per alterationem, vel demum per loci-mutationem: *Habere* porrò dicatur vel Qualitatem, vel Quantitatem, vel contentum, vel possessionem, vel membrum, vel ornatum, vel demum amicum.

XVIIJ. *Ex Disputatione.* De Propositione.

I. ORatio quæ ad Propositionem habet se vt genus; rectè definitur quod sit vox significatiua ad placitum, cuius aliqua pars separata significat. 2. rectè quoq; diuiditur quadrifariam. primò vt est totum essentiale, in vocem & significationem. Secundò vt est totum causale, in perfectam & imperfectam. Tertiò vt est totum vniuersale, in Enunciatiuam & non enunciatiuam. Quartò tandem vt est totum integrale, in Nomen & Verbum. 3. est verò *Nomen* vox significatiua ex instituto sine tempore, cuius nulla pars separata significat, finita & recta. 4. *Verbum* autem ex vox significatiua ex instituto cum tempore, cuius nulla pars separata significat finita & recta, & est semper eorum quæ de altero dicuntur nota. 5. Ipsa porrò *Propositio* rectè definitur quod sit oratio, verum vel falsum significans. 6. rectè quoq; quadrupliciter diuiditur, nempe ratione formæ, Materiæ, Quantitatis & Qualitatis. *Ratione formæ*, in Categoricam quidem & Hypotheticam Analogicè,

sed

sed in affirmatiuam & negatiuam, vniuocè. *Ratione Materiæ*, in necessariam, Contingentem & Impossibilem. Ratione *quantitatis* in vniuersalem, Particularem, indefinitam, & singularem. Ratione demum *Qualitatis*, in veram & falsam. 7. Porrò Proprietates Propositionis sunt in triplici differentia. Aliæ quæ ipsam consequuntur secundum se: vt sunt veritas (quæ est intellectûs nostri cum rebus conformitas) & falsitas (quæ est difformitas seu inadæquatio intellectûs nostri cum rebus) 9. Aliæ quæ consequuntur Propositionem ratione illius terminorum. vt sunt illæ sex suppositio, ampliatio, restrictio, alienatio, diminutio, & appellatio. 10. Aliæ demum quæ consequuntur Propositionem ex comparatione illius ad alteram. vt sunt illæ tres Oppositio, æquipollentia & Conuersio. 11. Ex Propositionibus Verò Contradictorijs singularibus de futuro contingenti, neutram contradictoriam esse determinatè veram aut falsam tenemus.

XIX. *Ex Disputatione.* De Discursu formali.

I. TErtia Intellectûs nostri operatio scilicet Discursus seu Ratiocinatio, requirit pluralitatem cognitionum, essentialiterq; consistit in iudicio illatiuo, seu dependentia vnius cognitionis ab alia, in quantum videlicet ex cognitione rei notioris deuenimus ad cognitionem ignotioris. 2. diuiditur autem Discursus formaliter sumptus in Consequentiam strictè sumptam & in Argumentationem. 3. Argumentatio verò subdiuiditur in Syllogismum & Inductionem, tanquam in duas species perfectas, ad quas Enthymema & Exemplum, tanquam quid imperfectum reducuntur. 4. Syllogismus rectè definitur quod sit Oratio in qua quibusdam positis aliud quidpiam ab his quæ posita sunt, eò quod posita sint necessariò sequitur. 5. Principia quoq; Syllogismi non tantùm Constituentia tā materialia quàm formalia; sed etiam Dirigentia rectè sunt ab Aristotele assignata. *Materialia* quidē *remota*, sunt tres termini s. maius extremū, minus extremū & mediū: *proxima*, sunt, tres propositiones scilicet Maior, Minor, & Conclusio (quanquā si

Syllogismus sumatur pro instrumento ad inferendam Conclusionem, illa tunc non est de illius essentia) *Formalia remota* sunt tres Figuræ: *proxima* sunt nouemdecim Modi. Dirigentia demum seu regulatiua Syllogismorum principia sunt illa duo; vnum affirmatiuum quod appellatur *Dici de omni*: & alterum negatiuum quod appellatur *Dici de nullo*. quæ ambo innituntur illis. Quæ sunt eadem vni tertio &c. hæc verò illi notissimo. Quodlibet est aut non est.

XX. *Ex disputatione.* De Demonstratione.

I. DE sola discursiua cognitione verificatur illud effatum. Omnis doctrina & disciplina fit ex præexistenti cognitione. 2. Duæ Præcognitiones istæ: An est, & Quid est: tria verò præcognita hæc, principium, subiectum & Passio, rectè assignantur ab Aristotele. 3. rectè quoq; ab eodem definitur Demonstratio duplici Definitione, quarum *Prima* hæc est Demonstratio est Syllogismus faciens scire. *Secunda* verò hæc. Demonstratio est Syllogismus procedens ex principijs veris primis immediatis, notioribus, prioribus & Causis Conclusionis. 4. ex quo patet. medium potissimæ Demonstrationis esse Definitionem subiecti. 5. rectè similiter ab eodem Aristotele requiruntur ad Demonstrationem etiam illæ tres conditiones scilicet. Dici de omni, Per se, & Quatenus ipsum. 6. rectè pariter Demonstratio diuiditur in Propter quid, & Quia; analogicè tamen: & membra hæc non sunt idem quod Demonstratio à priori & à posteriori. 7. Porro in Demonstratione vti circulo non licet, nisi fortè ille sit difformis, non autem vniformis.

XXI. *Ex Disputatione.* De Scientia.

I. SCientia est simplex qualitas. 2 propriè sumpta rectè ab Aristotele 1. Poster. cap. 2. definitur dupliciter. *Primo* cum dicit sic. Scire autem putamus vnamquemq; rem simpliciter & non Sophistico modo, cum putamus causam cognoscere propter quam res est, eius rei causam esse, neq; posse eam aliter se habere. *Secundo* verò sic. Scire est per demonstra-

strationem intelligere. 3. Ex his autem Definitionibus Scientiæ in concreto, elicitur illius in abstracto communis & vsitata Definitio hæc. Scientia est habitus certus per Demonstrationem acquisitus. 4. rectè quoq; ratione dependentiæ Scientia diuiditur in Subalternantē & Subalternatā quæ si sit naturalis sine Subalternante non meretur nomen veræ scientiæ. 5. Ad verā autem subalternationē requiritur vt Obiectum subalternatæ contineatur sub obiecto subalternātis; addatq; supra illud differentiam accidentalem, communem, non tamen quamcunq; sed talem ex cuius additione constituatur Ens scibile, cuius principia probentur à priori per subalternantem. 6. Porrò scientiarum vnitas & distinctio generica sumitur ab abstractione eadem vel diuersa: *Specifica* verò ab vnitate & distinctione principiorum intra idem genus scibilis, siue intra eandem abstractionem: ita vt illæ scientiæ sint *Vnius generis*, quæ habent eandem abstractionem à Materia; illæ diuersi generis, quæ habent diuersas abstractiones: illæ *Vnius speciei*, quæ habent principia eiusdem speciei in esse scibilis: illæ verò diuersæ *speciei*, quæ habent principia distincta in esse scibilis. 7. Porrò scientia vt sic, non solum distinguitur ab opinione, fide, & solertia; sed etiam ab Intelligentia, prudentia & Arte, non tamen à sapientia ex æquo. (8) nec potest simul esse cum opinione in eodem intellectu de eodem obiecto; imò neq; cum fide si scientia naturalis sit.

XXII. *Ex Disputatione.* De Syllogismo Topico & Sophistico.

I. Syllogismus Topicus rectè definitur quod sit ratiocinatio quæ ex probabilibus sumptionibus probabilem infert Conclusionem, seu est argumentatio constans propositionibus opinionem generantibus propter medium probabile sumptum ex locis Dialecticis (2) de eo sufficientem Aristoteles reliquit doctrinam in octo libris Topicorum. vbi subministrat argumenta probabiliter disputandi in vtramquè partem de re quauis proposita, hoc est de omni Proble-

mate Dialectico, quod non eſt niſi quadruplex quemadmodum & Prædicata Dialectica non ſunt niſi quatuor Definitionis ſcilicet Generis Proprij & Accidentis. 3. Præter ſyllogiſmum autem Demonſtratiuum & Topicum datur quoq; Sophiſticus qui conſtat ex propoſitionibus apparentibus. (4.) de hoc in duobus libris Elenchorum Sophiſticorum tractat Ariſtoteles ſufficienter, non tamen aſſertiuè hoc eſt vt alios decipiamus, ſed diſcretiuè, hoc eſt vt fallacias & deceptiones euitare ſciamus.

Soli DEO honor & Gloria.

Permiſſu Magnifici Domini Rectoris.



CRACOVIÆ,
In Officina Hæredum CHRIST: SCHEDEL *S.R.M. Typogr:*

